DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Diſcrimine quod Scarlatinam inter et Cynanchen Malignam intercedit.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31942726

T.932.10

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE Diſcrimine quod Scarlatinam inter et Cynanchen Malignam intercedit.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

EDUARDUS BRADLY,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Extr. Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

222291

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Viris illuſtribus et eruditiſſimis,

JOSEPHO ROBERTSON, M. D.

Et

GULIELMO FARQUHARSON, M. D.

EDUARDUS BRADLY,

S. P. D.

CUM, viri generoſiſſimi, mecum ſerio reputavi, quanta amicitia quotque beneficiis veris me, per totum triennium, quo arti Hippocraticae Edinburgi operam navavi, conſtanter fueritis proſecuti, ne in punctum temporis quidem breviſſimum potui dubitare, quibuſnam potiſſimum hoc opuſculum inaugurale deberem conſecrare. Si aliter feciſſem, operae illius aſſiduae et vere paternae, quam utrique in me ſcientia omnigena medica erudiendo poſuiſtis, et monitorum amiciſſimorum, quae ad vitam ephebi rite

rite moderandam omnino neceſſaria fuerunt, ingratus oblitus fuiſſem. Talia vero a me longiſſime abſint! Namque, dum vivo et ſpiro, beneficia veſtra numeroſa mihi in memoriam, ſingulis horis, revocatum iri promitto. Vobis utriſque, et familiis amabilibus, et omnibus honoribus a me perpetuo afficiendis, omnia bona et exoptanda abunde contingant. Vivite et valete.

Sexto Idus Septembris, anno Salutis
Humanae 1791, Edinburgi Dabam.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Diſcrimine quod Scarlatinam inter et Cynanchen Malignam intercedit.

SCARLATINA Edinburgi, et in locis ei vicinis, in ſex menſes proxime elapſos et amplius; epidemice graſſata eſt; et igitur non ſolum attentionem Profeſſorum Academiae illuſtrium et medicorum urbanorum, ſed multorum e medicinae ſtudioſis, quibus morbum in omnibus ſuis varietatibus contemplandi occaſiones complures fuerunt ſubminiſtratae, in ſeſe

convertit. Opinio nuper invaluit, eam eandem omnino naturam, quam cynanche maligna, habere; et multi auctores medicique, qui ſummam ſibi claritudinem comparaverunt, eam, in morem putridi morbi, curaverunt. Cum vero auctores, qui hoc argumentum ſunt executi, quoſque perlegerim; cum multi ſermones, quos cum medicis, qui aliquot utriuſque morbi centurias viderunt, contulerim; cumque obſervatio propria, morbos a ſe invicem ex toto differre, et curationem admodum diverſam requirere, mihi perſuadeant; diſcrimen, quod inter duos morbos intereſt, ut argumentum diſſertationis inauguralis ſeligere, et idem exequi decrevi. Si in hocce opuſculo conflando ab opinione eorum, quorum auctoritatem plurimi pendo, diſſentiam, bonitatem conſilii animumque inveſtigandi, qui hodie in hacce academia invaleſcit, liberum et generoſum, me excuſatum habitura eſſe confido.

Proximum

Proximum eſt, ut prius hiſtoriam ſcarlatinae tradam; deinde cynanche malignae propriam exequar. Hoc facto, ſigna praecipua, quae unum morbum ab altero ſecernunt, monſtrare pro virili conabor.

Sub primam ſcarlatinae acceſſionem, multum, immo plurimum, moleſtiae et averſationis motus omnigeni ſentiunt aegroti. Vultus illis palleſcit, et animus demittitur. Sub idem tempus, aliquantum moleſtiae in faucibus ſentitur; et uvula et tonſillae adeo, ut poteſtas devorandi difficilis evadat, inflammantur et intumeſcunt. Interea ſenſus anguſtiae in muſculis colli et humerorum, quaſi funiculis conſtringerentur, oritur. Pauculis horis, leviculi horrores accedunt, et cum caloribus alternant. Nunc aliquantum capitis doloris et nauſeae, quae nonnunquam ad vomitionem uſque progreditur, queruntur aegroti. Noctem inquietam agunt, non tantum prop-

ter

ter dolorem, quantum ob vigiliam moleſtiſſimam, quae eos infeſtat.

Proximo die, rubor faciei non modicus apparet; et oculi inflammantur et ſiccescunt, ictus arteriarum, hoc tempore, ſolitis multo celeriores ſunt et pleniores. Si in fauces inſpicias, tumorem tonſillarum evidentiſſimum, rubore veli penduli, uvulae, linguae, magnaeque palati partis, florido ſtipatum videbis, dum de magno dolore, inter devorandum, conqueritur aeger. Cibi averſatio incidit, et magna bilis quantitas nonnunquam rejicitur. Cutis, cum digitis tangitur, calida et ſicca eſt; et aegroti de doloribus frequentibus, exiguis, pungentibus, quaſi urticis ſtimularentur, acubuſve pungerentur, querimonias fundunt.

Veſpere appetente, increſcunt calor et inquietudo, ſpiritus calidus fit, et labia quaſi urit; ſitis etiam intenditur; ſed proclivitas ad nauſeam

et

et dolor devorandi, ne frequenter multumve, una eademque vice, bibant, cavent. Haec nox magis irrequieta, quam ſuperior, tranſigitur, et aegrotus de moleſtia et anxietate multas querelas edit.

Mane tertii diei, rubor, qui ſemet in facie oſtenderat, cervices, pectus, brachia, et poſtremo totum reliquum corpus, pervadere incipit; ſpatio paucularum horarum, univerſus evadit, et eo uſque intenditur, ut facies, corpus, et membra colorem ruberrimum ſibi adipiſcantur, et evidenter intumeant. Preſſura adhibita, rubor evaneſcit, ſed cito redit. Cutis tactui laevis eſt, et plerumque nullae papulae puſtulaeve ſemet in conſpectum dant. Nares internae oculique hujuſce ruboris univerſi magis minuſve participes ſunt; et fulgor inſignis et ferocia oculo ineſt, quae huic morbo propria eſſe videtur. Ægroti tamen lucem non male tolerare videntur; ſed quo profundior eſt color modo depictus, et quo

major

major eſt oculi ſplendor, eo ad delirium procliviores ſunt.

Quanquam ſupra comprehendi, colorem cutis rubrum plerumque univerſum eſſe; nonnulla tamen exempla ſunt, ubi ſub forma macularum ampliorum coloris igneo-rubri ſemet oſtendit, et partes, quas occupant, elevantur et intumeſcunt. Hae maculae, in partibus ubi primum ortae ſunt, ſpatio unius duorumve dierum, plerumque evaneſcunt, et deinde in alia, in multos dies, aliquando in duas hebdomadas, ſeſe oſtendunt; et quibuſdam in caſibus, poſtquam ſigna levata ſunt, et morbus ex toto fere deceſſiſſe videtur, meſſis earum recens, ſignis omnibus prioribus renovatis, prorumpit.

Nonnunquam, pro maculis ſupra delineatis, racemi papularum exiguarum apparent, qui ſeſe diffundentes coaleſcunt, et totum corpus operiunt. Eruptione vero ita ſe habente, efflorescentia,

tia, ſi ita loqui liceat, profundo-rubra intervalla papularum occupat, quae in apice albidae ſunt, et conſtanter ſiccae et calidae.

Eruptione abſoluta, pulſus arteriarum celeriores, magis exigui debileſque, quam circa initium ſecundi diei, evadunt; alvus plerumque, ut in ſanis, ſeſe habet; urina parcius excernitur, ſed naturali craſſior eſt, et ſaepe calidior.

In duos treſve dies amplius, eruptio plerumque immutata manet, cum color profunde coccineus gradatim imminuitur, fuſcus eum excipit, et cutis ſcabra evadens ſub forma ſquamarum exiguarum, furfur reddentium, decidit. Tumor eodem tempore ſubſidit. Nonnihil ſudoris oriri ſolet, febris levatur, et aegroti ad vires appetentiamque ſolitas gradatim reducuntur.

Dum morbus hoc modo in ſuperficie progreditur, tumor et inflammatio tonſillarum, veli

penduli,

penduli, uvulae, linguae et palati; multis in exemplis, vel ſponte ſua decedunt, vel curationi idoneae adhibitae promptiſſime cedunt. Tumor tamen et rubor plerumque, ad tertium quartumve diem uſque, increſcunt, cum quantitas muci albidi et tenacis non modica ſecernitur, et linguam fauceſque tegit. Quanquam ſaepe tam copioſe excernitur, ut ora aegrotantibus propemodum adimpleat; parum tamen moleſtiae faceſſere videtur, quoniam nec tuſſim nec niſum expuendi movet. Immo, contra, multi eam tangi aut removeri non patientur.

Haec pituita autem tantum, ob indolem admodum tenacem, inſignis eſt. Nonnunquam tamen, circa tempus, quo morbus acmen attingit, et poſtea, ſanguini admiſcetur. Et in quibuſdam caſibus, ubi ſpiritus poteſtaſque devorandi praeter conſuetudinem difficilia fuerunt, praeſertim cum haec a dolore meatuſque anguſtia, infra pharyngem deſcendentibus, fuit pro-

ſecta, maſſae, juglandes magnitudine fere adaequantes, textura firmae, colore ſubrubrae, lympham ſanguinis coagulabilem, aliquanto globulorum rubrorum admiſtam, magnopere referentes, ex ore expuuntur, potiuſve extrahuntur. Hae maſſae et a trachea, et ab oeſophago, proficiſci videntur.

Multis in exemplis, pro muco craſſo et tenace, ſupra poſito, totas fauces internas et linguam operiente, in maculas craſſas colligitur idem; quae tonſillis, velo pendulo, et praeſertim parti oeſophagi poſteriori, adhaerent. Non raro maculas cruſtaſve, cynanche malignae proprias, magnopere reddunt; ſed, in ſcarlatina, quolibet gargariſmate idoneo facile abluuntur, et cutis, quae infra eſt, ex toto ſana eſſe reperitur, vel aliter exulceratio levicula tantum manet, quae brevi decedit. Circa hoc tempus, multis e naribus profunditur materia, ab ore proficiſcentem referens, ſed multo tenuior minuſque tenax. Nares in-

ternas labiumque ſuperius, ut in catarrho inci-
dere conſuevit, nonnunquam erodit; ſed nec
haec materia, nec anima unquam, ulla ex parte,
foetet.

In omni fere exemplo, ab initiis morbi uſque,
aegroti, ut in ora fauceſque inſpiciatur, per-
quam inviti ſinunt, querentes, depreſſionem lin-
guarum neceſſariam eos dolore acutiſſimo affi-
cere, et ſaepe nauſeam, rejiciendi conamina, et
etiam veram vomitionem, movere. Pueri, quan-
topere ingratum ſibi ſit, ut ora iis aperiantur et
inſpiciantur, per ejulationes et luctamina evi-
dentiſſime oſtendunt.

Glandulae ſubmaxillares et parotides ſaepe
non parum tument et inflammantur. Hic tu-
mor et inflammatio, ſub ipſum morbi principi-
um, aliquando apparent. Aliis temporibus, cir-
ca quintum ſextumve diem, ſeſe oſtendunt, mor-
bum producentia. In multis aegrotantium non

prius

prius oriuntur, quam efflorefcentia deceſſit; et plerumque hanc, et omnia ſigna febrilia, ſecum reducunt.

Quamvis hic tumor magno dolore ſtipatur, raro ſuppuratione finitur. Si hoc incidit, abſceſſus pus naturae blandiſſimae continet, et plerumque, pure ſemet per integumenta rupta facillime effundente, paucis diebus, ſine ulla moleſtia, ſaneſcit.

Circa tempus, quo ſigna ſuperficiei in melius mutantur, id eſt, diem ſextum ſeptimumve verſus, vel uno alterove die poſterius, affectus faucium incipit inclinari. Tumor tonſillarum gradatim ſubſidit; pituita minus tenax evadit, et a faucibus, una cum maculis mucoſis ſupra comprehenſis, facile disjungitur. Fauces nunc inflammatione carent, et exulcerationem potiuſve irritationem leviſſimam tantum oſtendunt, quae pauculis diebus evaneſcit; et pulſus arteriarum quoque

quoque ad conditionem naturalem redeunt. Sub idem tempus, alvus multis funditur, et mucum ei ex ore et naribus profuſo ſimilem excernit. Hae dejectiones vero non vires aegroto convelſunt, ſed potius ad appetitum cibi vireſque ei reſtituenda conferre videntur.

Quanquam hactenus eruptionis cutaneae affectuſque faucium, ut conſtanter conjunctorum, mentionem feci; multa tamen ſcarlatinae exempla reperiunda ſunt, ubi guttur nulla ex parte afficitur, vel faltem non plus, quam in quolibet alio affectu febrili, incidere ſolet. Rebus ita ſe habentibus, morbus plerumque paucis diebus ad finem ex toto perducitur, et parum moleſtiae aegrotanti faceſſit.

Hujuſcemodi plerumque decurſus eſt, quem morbus aeſtate tenet; ſed, autumno progrediente, tuſſis levis, aliaeque catarrhi notae, accedunt, quae tamen medicamentis idoneis prompte parent.

parent. Hyeme, aegri doloribus dentium moleſtiſſimis et catarrhis patent; et tumor faciem multorum, frequentius artus inferiores, invadit, dolore graviſſimo ſtipatus. Nec ruber, inflatus vel oedematoſus eſt, et magis a corpore frigori objecto, quam ab ulla curatione antecedente, proficiſci videtur; et ſaepe quidem, ſine ulla cauſa manifeſta, apparet. In multis caſibus hiſce doloribus conflictantium, et affectibus glandularum ſubmaxillarium et parotidum, ſupra comprehenſis, laborantium, pulſus arteriarum concitatiores evadunt, et plus inflammationis, quam quolibet alio morbi tempore, indicant.

Criſin morbi ſaepe ſubſequitur proclivitas ad anaſarcam; ſed raro longe progreditur, medicamentis idoneis plerumque facillime cedens.

Sub hoc tempus magnus languor accedit, qui ſummae aegroto moleſtiae eſt. Hic vero a celebri Doctore Jacobo Sims, Societatis Medicae

Lon-

Londinenſis praeſide, tam accurate deſcribitur, ut verba ejus, quae ſubſequuntur, tranſcribere decreverim *.

'There is one ſymptom,' inquit vir clarus, 'which I ſaw, in ſeveral caſes, follow the criſis 'of this diſeaſe, and which deſerves to be parti-'cularly noticed. This was a moſt inconceiv-'able degree of languor, which attacked the 'patient in an inſtant, when almoſt all diſorder 'ſeemed almoſt gone; it was without pain or 'uneaſineſs, I may ſay, without dejection of ſpi-'rits; for, although I have known ſome take a 'ſolemn leave of their families, yet it was with 'the utmoſt tranquillity; and, on being aſſured 'by me, on my arrival, that it was unattended 'with danger, they have continued, for ſeveral 'hours, whilſt it laſted, converſing with thoſe

'about

* Memoirs of the Medical Society of London, vol. 2, p. 408. 409.

‘ about them in the moſt placid chearful man-
‘ ner. A watchmaker gave me the beſt deſcrip-
‘ tion of this, by telling me, that he felt as if all
‘ his inward works were going to ſtop, his main
‘ ſpring of life being entirely run down. I am
‘ inclinable, that this feeling is connected with
‘ the angina, from having myſelf ſuffered it from
‘ one of the attacks of that diſorder, which for
‘ many years I was ſubject to. As there were
‘ no other ſymptoms but the mere languor, I
‘ found encouragement given to the patients
‘ themſelves, and ſome gentle cordials, preſcri-
‘ bed in order to ſatisfy them and the byſtand-
‘ ers, who were always more alarmed than the
‘ ſufferers, together with a little *time*, a medicine
‘ that cures oftener than we are willing to ac-
‘ knowledge, always got the better of it.’

In paginis praecedentibus, ſpecies tantum maxime communes, quas ſcarlatina prae ſeſe ferebat, et in quibus exitum felicem ſemper habe-

bat,

bat, commemoravi. Proximum autem eſt, ut ſigna quoque illum morbi ſtatum, qui ſaepe funeſte finitur, comitantia deſcribam.

Color coccineus primo alterove die nonnunquam in conſpectum venit, cutis admodum caleſcit, rubor et ferocitas oculorum ſingularis, ſupra dicta, mirandum in modum ſubito intenduntur, delirium ferociſſimum accedit, et miſerandus aegrotus frequenter tertio quartove die rapitur; quamvis nonnulli vitam ad octavum uſque trahunt.

Aliquando iterum, quarto quintove die, color cutis coccineus evaneſcit, et in locum ejus maculae lividae amplae ſubſtituuntur, quaſi miſtura ſanguinis et aquae ſubter eum diffunderetur, et per eum videri poſſet. Extrema corporis febrilem calorem amittunt, cutis flaccida evadit, et, quanquam non tam frigida eſt, cadaveri propriam refert. Urina ſtercuſque, ſine voluntate,

excer-

excernuntur; iis, ut aliquid devorare conentur, nullo modo perſuaderi poteſt; ſpiritus laborioſus fit, non tam ob ullam eum trahendi difficultatem, quam quod fauces quantitate viſcidae pituitae immenſa onerantur, quam tamen exſpuere raro conantur. Hoc in ſtatu, infeliciſſimo aegroto vita, ultra triginta ſex vel quadraginta octo horas, raro protrahitur. In hoc etiam morbi ſtadio, parum anginae ſeſe oſtendit.

Paucis in exemplis, cum omne periculum, uti videtur, praeteriit, ſigna hydropis ſubito accedunt, modo in hydrocephalum internum, modo in hydrothoracem, modo in aſciten, deſinentia.

Hiſtoria ſcarlatinae hoc modo tradita, ſigna praecipua *cynanches malignae* paucis depingam, et deinde, ea cum hiſtoria morbi prioris comparando, *diagnoſin* tam accuratam, quam potero, conſtituere conabor.

Poſtquam aeger magnam laſſitudinem, ſaepe in aliquot dies praecedentes, cordis palpitationem, debilitatem, et dolores totius corporis, locum frequenter mutantes, ſenſit, tali vertigine, qualis animi deliquium antecedit, et ſenſu frigoris et horrore, intermittentibus proprium reddente, corripitur; quae omnia magnus calor brevi excipit.

Hi horrores et calores ſibi invicem, in aliquot horas, ſuccedunt, donec calor tandem continuus, et nonnunquam, quamvis rarius, intenſus evadit. Æger deinde acutum capitis dolorem; calorem et ſenſum moleſtiae potius, quam dolorem, gutturis; colli rigiditatem, et magnam aegritudinem cum vomitu et purgatione, conqueritur. Facies palleſcit vultuſque contriſtatur et demittitur. Quamvis illa nonnunquam, in plenioribus, rubeſcit, intumeſcit, et inflatur. Oculi concavi eſſe videntur, paulum inflammati, et, ut in rubeola, aquoſi. Sub ipſum morbi

initium,

initium, accedunt magna inquietudo, anxietas, animi deliquia, animus inſigniter demiſſus.

Pulſus arteriarum, a principio uſque, plerumque admodum celeres ſunt, centies et vigeſies, vel etiam centies et quadrageſies, ſingulis minutis, frequenter micantes, et plerumque exigui tremulique. In quibuſdam tamen exiles et duri ſunt, in pauciſſimis molles et pleni, ſed conſtanter ſine illis viribus et firmitate, quae morbos inflammationem habentes comitantur.

Ægrotus plerumque horis matutinis corripitur, et ſigna, noctem verſus, magnopere ingraveſcunt. Haec exacerbatio, donec mane appetit, manet; cum, poſt ſomnum leviculum et perturbatum, ſudor prorumpit, qui ſigna non parum levat, et aliquando morbo intermittentis ſpeciem comparat. Exacerbationes veſpertinae, per totum morbi decurſum, perquam conſtanter redeunt.

Brevi,

Brevi, a prima morbi acceſſione, uvula et tonſillae nonnihil tumidae eſſe videntur; et hae partes, una cum velo pendulo palati, genis utriſque prope introitum faucium, et pharynge, coloris coccinei profundi nonnunquam ſunt, et ſpeciem ſplendentem prae ſeſe ferunt. Hic color autem in margine palati poſteriore, in angulis ſupra tonſillas, et in tonſillis ipſis, maxime notabilis eſt. Caeterum, pro hoc colore coccineo aequali, maculas amplas, figuris abnormes, colore pallido-albidas, rubore florido circumdatas, ſaepe offendimus. Haec albedo gingivas, cum preſſura afficiuntur, magnopere reddit; vel ſpeciem, quaſi materia evacuari parata, ſubter eas contineretur, prae ſeſe fert. Paucis diebus, hae maculae albidae colore magis cinereae, ſaepe admodum fuſcae, et, nonnullis in caſibus, fere nigrae evadunt. Nunc comperitur, id, quod, primo intuitu, pro levi tumoris ſuppurati integumento potuiſſet haberi, revera

cruſtam

cruſtam eſſe, quae ulcus ejuſdem dimenſionis tegit.

Sitis multo minus in hoc, quam in pleriſque aliis morbis acutis, urget; lingua plerumque humida eſt, et ad apicem pura, quamvis nonnunquam, ad radicem, ſordibus flavido-fuſcis cooperitur; et alias carnem crudam rubore refert.

Anima odorem ingratum et nauſeoſum habet, qui, ad extremum, putridus adeoque foetidus evadit, ut aegrotanti ipſi propemodum intolerabilis ſit. Multi, hunc odorem fauces nareſque afficere, et nauſeam prius movere, quam ulla ulcera ſemet oſtendunt, queruntur.

Urina, ſub initium, cruda eſt, et colore pallida; et, prout morbus progreditur, quaſi bili admiſceri videtur. Cum aegrotus ad ſanitatem

vergit,

vergit, quod in ea ſubſidit, id ſpeciem farinaceam habet.

Saepe tertio, quarto, quintove morbi die, facies, collum, pectus, manuſque nonnihil intumeſcunt; et in iis oritur tinctura ſubrubra, magno numero papularum exiguarum interſtincta, quae rubore illis circumdato evidenter rubriores ſunt. Non raro tam exiguae ſunt, ut aciem oculorum fere fugiant; colorem profundo-rubrum, ad purpureum appropinquantem, aliquando habent, et plerumque ſudore, praeſertim mane verſus, madeſcunt.

Haec eruptio non ſemper affectum gutturis et oris comitatur. Aliquando, cum eruptio ſemet in conſpectum dat, vomitus et dejectiones levantur, et ſaepe, poſt diem ſecundum, ex toto depelluntur; quod ſemper ſignum fauſtum eſt, etiamſi alvus nihil aegroto, ex hoc tempore,

donec

donec notae ſalutis ſemet evidenter oſtendant, excreverit.

Glandulae parotides utriuſque lateris plerumque intumeſcunt, dureſcunt, et tactui dolent; et, quibuſdam in exemplis, collum fauceſque tumore oedematoſo, ad pectus aliquando patente, circumdantur. Uvula tonſillaeque nonnunquam adeo tument, ut introitum in fauces anguſtiſſimum relinquant, qui ſaepe quoque ulceribus circumdatur; et aegroti tamen, ſine magna difficultate, ſaepe devorant.

Morbus nullam criſin ſpatiumve ſtatum habere videtur, quod *acme* idonee appellari poteſt. E pauculis, qui ad ſanitatem reducuntur, quidam, morbo adhuc recentiſſimo, levantur, dum plerumque, circa quartum quintumve diem, morbus cedere incipit. Sudor lenis oritur, rubor cutis decedit; ictus arteriarum magis tardi, firmi, et aequales evadunt; tumor colli externus

ſubſidit,

ſubſidit, cruſtae faucium ab iis ſeparantur, ulcera replentur; aeger, ſine perturbatione, dormit; tranquillus eſt, cum expergiſcitur; appetentia cibi redire incipit; reſpiratio mollis et libera fit; aliquantum vigoris et mobilitatis oculis reſtituitur; et humiditas cutis lenis perſtans, cum ſputo copioſo et cuticulae deſquamatione, reditum valetudinis commodae et virium plane indicat.

Caeterum, proh dolor! in exemplis pauciſſimis quidem, curſum felicem, ſupra memoratum, tenet morbus. Eruptio, contra, ſi ulla adſit, ſubito recedit, vel liveſcit, vel nigreſcit; aut, ubi nulla eruptio apparuit, maculae lividae nigraeve ſemet oſtendunt. Ictus arterioſi tam exiles celereſque evadunt, ut vix percipi poſſint; cutis, potiſſimum extremorum, frigeſcit, et ſudore viſcido obtegitur. Oculi quaſi mortui laeveſque evadunt, et delirium accedit, quod ab

eodem

eodem affectu, in quolibet alio morbo, differre videtur.

Ægroti, cum excitantur, quaeſtionibus ſibi propoſitis, ſed celeritate inſolita, ſatis apte plerumque reſpondent. Semetipſos alloquuntur ſoli, et primam ad morbum proclivitatem, nimiam tranquillitatem affectando, frequenter oſtendunt. Hoc plerumque incidit, cum plurimum vigiliae ſubeſt; namque nonnulli ſtupidi ſenſuque fere deſtituti jacent, ad ea, quae tranſiguntur, animum parum attendentes. Frequenter tantum ſubſiliunt, et ſibi muſſitant.

Haemorrhagiae e naribus et gingivis, per totum morbi decurſum, potiſſimum vero hoc tempore, profunduntur. Menſtrua iis ſaepe proveniunt, quibus ſatis aetatis acceſſit, quanquam tempus eorundem ſolitum non parum diſtat. Menſtrua nonnullis, per decurſum morbi, fuerunt profuſa, in quibus ne unum quidem eorum

ſignum unquam ante apparuit. Hae vero evacuationes aegrotam ſaepe rapiunt, ſaltem ſyncopen movent, et omnia ſigna adaugent.

Sub hoc tempus, nares internae ad ſummam altitudinem, quam oculus attingere poteſt, lividum colorem ſibi adeptae ſunt; et ſanies corroſiva tenuis, vel materia ſubfuſca, ex iis effunditur, quae tantum acrimoniae habet, ut labia, genas, manuſque aegrotantium, et etiam digitos et brachia eoſdem nutrientium, erodat. Haec materia acerrima in ventriculum aliquando deſcendit, et dejectiones violentas, ſignis exulcerationis in inteſtinis ſtipatas, facit. Multum doloris et detrimenti ab eroſionibus circa anum nonnulli ceperunt. Trachea etiam aliquando hac materia fuit eroſa, et fruſtula membranae ejus internae, cum multo pure ſanguineo, extuſſita fuerunt. Ægroti non raro eodem genere ſuffocationis ſubitaneae, quae in cynanche tracheali ſemet oſtendit, fuerunt ſublati.

Morbum

Morbum extremum verſus, ulcera gutturis fauciumque ſemet rapide diffundunt, et partes affectas, ad magnam profunditatem, conſumunt, uvulam et tonſillas ſaepe ex toto delentia, et ſeſe in gutture externo oſtendentia; quod, uti a viris ſumma fide dignis accepi, in locis Aberdoniae vicinis nuper accidit, ubi cynanche maligna ſummam ſuam ſaevitiem, in praeſentia, exercet. Anima magis magiſque foetida evadit, adeo ut fiat ex toto intolerabilis, et aegrotus magnam muci foetentis, purulenti, ſanguine tincti, et colore lividi, quantitatem expuit.

Facies nonnunquam inflata et perpallida evadit, et ſpeciem cadaveroſam ſibi acquirit; dum collum ſaepe in magnitudinem horrendam intumeſcit, et oedema in corpus univerſum ſeſe diffundit.

Debilitas et inſenſilitas nunc eo uſque intenduntur, ut cardiaca valentiſſima nullum e-

dant effectum, et aegrotus, ſine luctamine gemituve, fato concedat.

Ex hiſtoriis praecedentibus clare conſtat, diatheſin inflammatoriam, ab acceſſione ſcarlatinae prima uſque, invaleſcere, et per totum morbum manere; niſi inflammatio quidem, per pravam medendi viam, vel aliquam aliam cauſam, adeo concitetur, ut in gangraenam, quae inflammationem quamlibet aliam ſubſequi poteſt, deſinat. Contra vero, diatheſis putrida, in cynanche maligna non minus evidens eſt. Natura ſcarlatinae inflammatoria ex hoc plane evidenterque apparet, quod ſexum utrumque, ſine ullo diſcrimine, invadit, et ſaepiſſime valentiſſimos; et quod, caeteris paribus, robuſtiſſimi ſummo in periculo verſantur. Diatheſin inflammatoriam in ſcarlatina ſubeſſe quoque teſtantur, color cutis profundo-ruber et laevitas; papulae, cum ſubſunt, apice albidae, et conſtanter ſiccae et calidae; calor cutis intenſus, magna ſitis, urina

colorata,

colorata, alvus dura. Quae ſigna vero, hiſce ex toto contraria, in cynanche maligna ſemet oſtendunt, ea diatheſin putridam ſubeſſe clariſſime monſtrant. Hoc evidentiſſime quoque e ſequentibus apparet, e pulſibus arteriarum demiſſis, e viribus magnopere proſtratis, magnaque ad delirium mite et muſſitans proclivitate. Hoc haud dubie a debilitate pendet; dum ſcarlatinae proprium magnitudini inflammationis pro rata ratione reſpondet, et ab hac ad cerebrum propagata proficiſcitur. Diſcrimen ſpeciei quoque, quam oculi prae ſeſe ferunt, in primis notabile eſt. In ſcarlatina ſplendentes, et aequaliter intenſeque rubri ſunt, nunquam aquoſi. Et haec conditio, pro ratione periculi, augetur. Contra, ſub initium cynanches malignae, oculi, quamvis nonnihil quidem inflammantur, ſtupidi et aquoſi ſunt, et, prout periculum increſcit, concavi degravatique evadunt. Species, quam fauces prae ſeſe ferunt, admodum quoque diſſimilis eſt. In ſcarlatina, tonſillae, uvula, ve-

lum

lum pendulum, palatum, et pharynx, multum inflammantur; non multum tumoris habent, et nunquam, niſi inflammatio curatione prava longius provehatur, exulcerantur. Contra, in cynanche maligna, guttur, ab ipſo initio uſque, exulceratur, et periculum naturae et magnitudini ulcerum, pro rata ratione, accurate reſpondet. Quinetiam ſanguis, hoc in morbo, e naribus, gingivis, uteroque, ſummo cum periculo, profunditur; quod nunquam in ſcarlatina incidit. In cynanche maligna quoque, perquam ingrata et foetida ſanies e naribus effunditur, quae cutem, ubicunque eam tangit, erodit. Aliquod quoque e naſo in ſcarlatina effertur; ſi vero id cum modo comprehenſa comparaveris, multo mitius, immo perquam mite, eſſe reperietur. In ſcarlatina quoque, anima calidiſſima quidem eſt, ſed nunquam foetet. In cynanche maligna, contra, eo uſque foetet, ut et aegroto infelici et adſtantibus propemodum intolerabilis ſit.

Diſſimilitudo

Diſſimilitudo vero maxime inſignis a ratione medendi, quam utrique morbo optime convenire experientia monſtraverit, poteſt deduci. In cynanche maligna, in cardiacis valentiſſimis, in tonicis et antiſepticis potentiſſimis, in aëre frigido ad aegrum adſpirante, idque libere, ſolis fiducia collocari poteſt. E contrario, haec in ſcarlatina evidenter nocent, quae regimini antiphlogiſtico plerumque facile paret, ſi modo cura agatur, ut eruptio nec liberali aëris frigidi applicatione, nec nimio caloris externi auctu, interpelletur.

Diſcrimen periculi quoque, in utroque morbo, conſiderandum eſt. In ducentis ſcarlatinae caſibus, vix decem mali reperientur; et non plures quatuor e decem aegrotantibus morituros eſſe in primis probabile eſt. Si vero ducenti cynanche maligna laborabunt, centum fere fato concedent.

Nulla

Nulla exempla, quibus fides haberi debet, teſtantur, eundem in ſcarlatinam bis incidiſſe; dum cynanche maligna in eundem ſaepe invaſit.

Multae aliae diſſimilitudines ſunt, quae ab hiſtoriis praecedentibus rite et diligenter conſideratis poſſunt deduci; ſed ſupra propoſitae, uti ſpero, me ſequentia inde cogere et efficere merito patientur.

1. Scarlatinam febrim exanthematicam typi inflammatorii eſſe, quae nunquam repetere poteſt.

2. Cynanchen malignam eſſe febrim typi putridi, a contagione ſpecifica proficiſcentem, quae toties renovari periclitatur, quoties contagio ei propria corpus ad eam accipiendam proclive offendit.

F I N I S.